



# Disputatio medica inauguralis de epilepsia

<https://hdl.handle.net/1874/343795>

21.

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
**EPILEPSIA,**  
AUSPICE <sup>QUAM</sup> DEO OPT. MAX.  
*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*  
**M. GERARDI de VRIES,**  
Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri  
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,  
NEC NON  
*Amplissimi Senatus Academici Consensu, Nobilissimaque*  
*Facultatis MEDICÆ Decreto,*  
**PROGRADU DOCTORATUS**  
Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis, ritè  
& legitimè consequendis,  
*Eruditorum examini subjicit*  
**MARCUS DE MEYER, LUGD.-BAT.**  
*Ad diem 15. Julii, horis locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

---

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc Ic xci.

*VIRIS integerrimis & pie-  
tate conspicuis,*

D. M A T T H Æ O  
DE MEYER,

Chymico expertissimo, Pa-  
renti, cultu sempiterno ve-  
nerando;

M. DANIELI DE MEYER,  
Mercatori apud Lugdunen-  
ses æquissimo, fratri dile-  
ctissimo;

*Inauguralem hanc Disputationem*

D. D. D.

MARCUS DE MEYER.

# DISPUTATIO MEDICA

## INAUGURALIS,

D E

# EPILEPSIA.

## THEISIS I.



Pilepsia est convulsio totius corporis interpolata, qua membra alternatim contrahuntur & dilatantur, cum mentis & virium læsione conjuncta: estque vel Idiopathica vel sympathica.

## I I.

Causa Epilepsiae Idiopathicæ est humor viscidus simul & acris in nervorum principio collectus, idque nec non spiritus animales irritans, pungens, & vellicans, sicque eosdem spiritus in irregulares spasmodicos motus incitans. Verum Epilepsia per sympathiam oritur, quum vitiosi ex ventriculo, hepate, liene, utero, aliisve partibus, humores vel vapores in cerebrum mittuntur, qui & spiritus animales, & principium nervorum graviter afficiendo, modo nunc dicto, hunc morbum excitant.

A 2

III. Me-

## DISPUTATIO MEDICA

## III.

Metum imminentis Epilepsiae non raro inferunt, gravatus capitis dolor, vertigo, scotomia, aurium tinnitus, timor panicus, cordis tremor & palpitatio, obstructio menstruorum, lienisque & hepatis, sanguis terrestris acris & melancholicus in corpore redundans.

## IV.

Præsentem Epilepsiam indicant, sensuum internorum abolitio, membrorum externorum vehementes spasmadicæ contractiones, oculorum conversio, dentium stridor, anhelitus impeditus, aut suspiria gravia, cum spuma ex ore, involuntariæ seminis, urinæ, & excrementorum alvi profusiones. Post aliquod tempus hæc symptomata derepente cessant, & tunc ægroti denuo ad se redeunt, ac mente constant, superstite vero post paroxysmum capitis dolore, cum torpore & sensuum hebetudine, ac non raro vertigine & scotomia.

## V.

Epilepsiae differentia peti solet à parte affecta, nempe quod cerebrum, aut pars ejus in hoc morbo laborans, vel primario ac Idiopathicè, vel secundario ac per sympathiam cum aliis partibus afficitur: viz. cum Epilepsiae prima quasi velitatio à ventriculo, liene, utero, intestinis, genitalibus, aut aliis visceri-

## INAUGURALIS.

sceribus incipit: imprimis sc. in istorum aliquo perturbatio quædam excitatur; dein ab eo auræ velut frigidæ in caput assensus percipitur: cui affectioni mox Epilepsia paroxysmus cum horrendis symptomatibus succedit. Insuper plura Epilepticorum exempla occurunt, in quibus paroxysmo ingruente, primo spasmus cum stupore in manu, aut pedis digito, aliove membro particulari sentitur, statim exinde velut cum formicationis sensu versus caput proreptit; quod cum attigerit, illico ægrotans in terram convulsus prosternitur. Hinc vulgo creditur Epilepsia causam in parte ita primario affici visa delitescere, atque noxam in cerebrum propagare.

### V I.

Sed dicendum super his est, in quavis Epilepsia continentem causam omnino in cerebro consistere, nempe spiritus animales ad explodendum dispositos, ibidemque explosos, Epilepsiam inferre. Itaque si quando diathesi Epilepticæ mala cujusdam visceris, puta stomachi, lienis, aut uteri, dispositio accedat; quoties in viscere illo affecto perturbatio quædam cietur, facile contingit ob fermenti illic transmissio- nem, aut spasmi in caput continuationem, in cere- bro prædisposito accessionem Epilepticam excitari.

### V II.

Quoad prognosin: morbus hic difficillimæ cura-  
tionis est, præsertim si sit hæreditarius. Quæ ante

A 3

puber.

## 6 DISPUTATIO MEDICA

pubertatem invadit Epilepsia facilius curatur: Difficilis vero, quæ post pubertatem oritur. Gravissima Epilepsia non raro vel immediatè in mortem terminatur, vel in aliud morbum sc. paralyzin, stupitudinem, aut melancholiam plerumque incurabilem commutatur. Qui per consensum fit morbus caducus, haud ita difficulter curam admittit.

### VIII.

Intentiones curativæ vel respiciunt paroxysmum, eumque vel ingruentem arcent vel presentem citius abigunt; vel morbi causam spectant, quam si tollant accessiones ejus postmodum inhibentur.

### IX.

Quantum ad priorem intentionem: spiritus animales nimis efferi & volatiles sunt figendi, nec non eorum explosiones inceptæ suppressimendæ, in quos fines æger capite è terra elevandus, ne illud nimis fortiter in pavimentum illidat, pollices & manuum digiti, aliæque convulsæ partes leniter extendendæ: naribus ruta viridis contrita, Camphora, castoreum, affa fætida, spirit. sal. armoniaci, cornu cervi, aut urinæ admoveatur, & illinatur oleum succini.

### X.

Ad secundum quod attinet: purgetur æger convenienti medicamento pro humoris maxime peccantis

## I N A U G U R A L I S. 7

tis natura. Si vero proclivis sit ad vomitum, exhibetur vomitorium ex infusione croci metallorum, aut tartaro emetico, aut mercurio vitae. Deinde cerebrum roborandum, & materia heterogenea specificis antiepilepticis extingueda; inter quæ sunt radix & semen pœoniæ maris, viscum quercinum, ruta, verbena, majorana, rosmarinum, ungula alcis, succinum, castoreum, corallium, cornu cervi, cranium humanum, &c. ex quibus decocta, electaria, pulveres, aliæve remediiorum formulæ pro re nata parari possunt.

### X I.

Inter specifica igitur præsertim conducunt quævis salia volatilia & oleosa, qualia præter citata sunt, sassafras, cariophylli, radix valerianæ sylvestris, flores lavendulæ, salviæ, tiliæ, liliorum convallium, crocus, myrrha, assa foetida, oleum & sal succini, spirit. sal. armoniac., &c.

### X I I.

Conducit quoque cucupham capiti impositam gestare; nec non fonticulum in cervice vel in brachio excitare.

### X I I I.

Si per sympathiam fiat epilepsia, modo diætis medicamentis addantur talia, quæ peculiariter respiquunt illam partem affectam, quæ causam morbi ficiam

8 DISPUTATIO MEDICA INAUG.

ficam ad caput transmittit; ut si vitium sit in ventriculo & intestinis, addenda sunt stomachica & amara: si in utero, hysterica, & sic de cæteris. Si ex pedis digito, aliave extrema parte malum emergat, loco affecto applicandum vesicatorium, vel cauterium potentiale.

X I V.

In diæta aër sit temperatus; & peculiariter cendum ab iis, quæ paroxysmum inducunt, & malum augent, ut sunt ebrietas, ira, terror, tristitia, asperitus solis, fluminum, aquæ currentis, fumi, flammæ, rerum in orbem motarum & abominabilium. Cibi condiantur cum cephalicis, salvia, rosmarino, betonica, lauro, majorana, &c. somnus & exercitia sint moderata, excretiones naturaliter procedant.

---

C O R O L L A R I A.

I.

*Hysterica passio nihil aliud est, quam Epilepsia sympathica.*

I I.

*In curatione Epilepsia V. S. non conducit.*

F I N I S.